viduarum, magnus praedicator. Sepultus est in monasterio Beatae Petronillae juxta muros apostolorum.

De Liberio archiepiscopo XVI.

Liberius XVI, vir sanctus, lactifluam habens eloquentiam. Suo tempore occisus est Valentinianus Augustus, et multi vulnerati. Sepultus est in monasterio sancti Pulsionis; III Kalendas Januarii celebratur.

De Urso archiepiscopo XVII.

Ursus XVII, qui fundavit ecclesiam, quae dicitur Ursiana, et in die resurrectionis vitam finivit. idibus[a] Aprilis, et in tali die ab eo dedicata est et vocata Anastasis, et in ea sepultus est subtus porphyreticum[b] lapidem, ubi stat pontifex, quando missam canit. Sedit annos XXVI.

De Petro archiepiscopo XVIII.

Petrus XVIII. antistes, fundator ecclesiae[c] Petrianae, sed non consummator. Nulla ecclesia similis illi in aedificio, Ubi dicuntur fuisse CCCta altaria. Defunctus est pridie Kalendas Augusti.

De Neom archiepiscopo XVIIII

Neom XVIIII. fundator ecclesiae s. Petri majoris, et fundator Tricolis[d], sed non consummator. Hic fuit tempore orthodoxae[e] matris Gallae Placidiae,

a) iddus
b) proferiticum
c) ecclesia
d) tricolis
e) ortodoxie